non fuit uir mecum. Omnes enim declinauerunt simul inutiles facti sunt. n. e. q. f. n. e. u. a. u. Siquidem petrus qui promiserat pro eo mori. postea ter negauit. Quis deducet me in ciuitatem munitam? Uere ecclesia ut in celestem ierusalem deducerentur. que munita dicitur quia illa nullus extraneus irrumpere potest. Secundum alium modum. Que est ista ciuitas munita? Infernus ubi includuntur rei. unde exire non licet. et usque ex ista ciuitate nisi dominus uictor non exiit. nemo alter. Moyses de ista ciuitate exire non potuit. Iacob similiter intrauit in hanc ciuitatem. et non est reuersus. Denique dixit ad filios suos. lugens descendam ad inferos. Ad inferos autem descendit. quia nec dum erat paradysus ablatione apertus. Munita est ista ciuitas ad egrediendum. aperta est autem ad introeundum. Quis deducet me usque in idumeam? Uere etiam propheta et optat. ut predicatio nominis christi in idumeam. id est in gentilitatem perueniat. Nemo enim uictor descendit in infernum. nisi tu solus domine qui reppulisti nos. non dixit qui repellis nos. sed qui aliquando reppulisti nos. et non exibis deus in uirtutibus nostris. scilicet fragilibus. Quia passus est pro nobis quare non adiuuas nos. sed pateris conculcare nos a diabolo crudelissimo. Da nobis auxilium de tribulatione. scilicet qua patimur. Electi qui in presenti tribulatione laborant, petunt auxilium remunerationis. Non dixit da nobis auxilium de deliciis. sed de tribulatione. Ad dominum cum tribularer clamaui. et exaudiuit me. Non dixit cum essem unde clamaui. aut dormiens clamaui. Uis exaudiri a domino? esto in tribulatione. clama et eris exaudiens. Si quis ergo non est in tribulatione auxilium domini inuocare non potest. Quia uana scilicet est salus hominis. Salus que a deo est firma est. que autem ab homine. uana est. et infirma. quia maledictus homo qui confidit in homine. In deo faciemus uirtutem. id est bonam operationem. Uox sanctorum. Quicquid uirtutis fecerimus. non a nobis sed a deo est. qui dixit. sine me nihil potestis facere. Et ipse ad nihilum deducet inimicos nostros. id est aduersarias potestates. Cum nouissima destruetur mors. id est cum omnes immortales effecti fuerint in die iudicii. tunc omnes inimici sanctorum ad nihilabuntur diabolus scilicet cum membris suis.

Deus laudem meam ne tacueris. Uox filii ad patrem. Deus pater laudem domini ihesu christi non tacuit. quia in baptismate et in monte quod consubstantialis ei esset filius declarauit dicens. hic est filius meus dilectus. Ut etiam laudem eius non tacuit. id est taceri non fecit. quando notitiam illius diuinitatis et humanitatis per nationes gentium a baptistis predicari fecit. Quia os peccatoris. id est iude traditoris. et os dolosi. id est fraudulentum. Specialiter de iuda intelliguntur. generaliter autem de iudeis. Os peccatoris et dolosi. id est iude ut populi iudaici in corde machinantis malum. Uideamus quomodo os iude proditoris apertum est in dominum. Uenit ad dominum ut eum traderet. et dixit aue rabbi. Ecce os peccatoris et dolosi. Iudei quoque os suum in dominum aperuerunt. quando dixerunt. reus est mortis. Super me. hoc est contra me apertum est. in passione scilicet quando dixerunt crucifige. crucifige eum. Tale os peccatoris in dominum apertum est. Ut autem uideatur quod de omnibus iudeis dixit. ex consequentibus cognoscitur cum addit. Locuti sunt aduersum me lingua dolosa. Locuti sunt iudei contra dominum lingua dolosa. id est fraudulenta. uolentes illum decipere cum dicebant. magister scimus. quia uerax es. et uiam dei in ueritate doces. Licet ergo dari censum cesari an non? Et sermonibus odii circumdederunt me. Sermonibus odii illum circumdederunt. quando clamauerunt dicentes crucifige. crucifige eum. Et expugnauerunt me gratis. Expugnauerunt illum gratis. id est sine causa. quia sine merito malitie ipsius ei in omnibus restiterunt. et de morte illius nec incommodum euaserunt. nec aliquod commodum adquisierunt. Pro eo ut me diligerent detrahebant mihi. Pro beneficiis sibi a me prestitis. propter que me diligere debuerant. uti poto sanatore animarum. et egrotantium detrahebant mihi opera mea non dei uirtute facta asserentes. sed beelzebub principi demoniorum asscribentes. Ego autem orabam. scilicet pro illis ad patrem. Ego orabam in cruce positus pro illorum salute dicens. pater ignosce illis. non enim sciunt quod faciunt. Et posuerunt aduersum me mala. scilicet opera. ut falsa testimonia perhibens. scilicet actis ut datis. Malum meritis et malum detractionis posuerunt iudei contra dominum pro bonis. hoc est pro resuscitatione mortuorum suorum. et pro doctrina sancti uerbi. Et odium. scilicet posuerunt pro dilectione mea. Pro dilectione qua eos dilexi carnem assumendo. odio habuerunt sibi a deo. Constitue. id est pone super eum. scilicet populum ut iudam peccatorem. uel diabolum. ut qui me noluit habere regem. habeat illum principem. Super iudam constitutus est peccator. id est diabolus ut dominaretur illi. qui merito pec

License: CC-BY-NC – St. Gallen, Stiftsbibliothek, Cod. Sang. 312, p. 226 – Remigius of Auxerre, Expositio in psalmos (http://www.e-codices.ch/en/csg/0312/226)